



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

144. An licitum sit communicare cum Hæretico, in quem lata est sententia eum hæreticum declarans, vel necessarium sit, ut publice, & nominatim, atque expresse denunciatur excommunicatus? Et doctrina ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

celebrari, & periculum est curiositatis concipiendae. Ita ille.

2. Sed hæc opinio mihi non placet, nam, vt ob-
servat Fagundez in *Præcept. Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 14. num. 4.* & Becanus in *2. part. Summa, cap. 15. quæst. 1. num. 8.* Excommunicatio Bullæ non fertur ratione periculi uniuscuiusque particularis, sed communis: Vnde nimis rigore loquutus est Pueronius *ubi supra* circa parvitatem materiæ, in legendis libris Hæreticorum, Hinc, vt alibi diximus magis placet sententia Sanchez, Emanuelis Rodriguez, Vivaldi & Sa asserentium esse unam paginam, quod bene explicat Sanchez etiam quando liber fuerit ex voluminibus magnis, quæ vulgò vocantur, de Marca mayor. Ratio est, quia minor quantitas videtur insufficiens (quidquid dicat Suarez de Fide, *disp. 20. sect. 2. numero 20.*) ad peccatum mortale, tam gravem censuram incurrendam. Et quamvis legat, non videtur legere librum hæretici, vt loquitur Bulla Cœnæ.

3. Nota hic etiam obiter, Vgolinum docere excommunicatione Bullæ Cœnæ ligari etiam illum, qui legit unam epistolam hominis hæretici hæresim continentem. Ratio illius est, quia licet Bulla solius libri meminerit eo quod sapius libri, quam epistolæ ad manus veniant, & quod in libris, quam in epistolis frequentius hæreses inferantur; ubi tamen Legislator mentionem unius rei facit ob frequentiore ejus usum, non censetur excludere id, quod minus frequenter contingit, *argum. lib. 1. Cod. de raptu virg.* Sed ex Fagundez *ubi supra, num. 11.* asserit, non ligari hæc Censura legentem, retinentem, aut imprimentem epistolam, concionem, aut aliam papyrum hæretici solutam, & non in tractatus, aut formam libri concinnatam, eo quod pœnæ non sint ampliandæ & in communi hominum usu & loquendi modo hæc non dicuntur libri. Nec militat eadem ratio in his quam in libris; libri enim diutius permanent & latius extenduntur: in pœnalibus autem ita intelligenda res est, vt salventur verba pœnæ; & non extendatur amplius.

4. Sed vt verum fatear, ego sententiæ contrariæ adhæreo, quam præter Vgolinum tenet Trullench in *Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 9 §. 5. n. 6.* & Castus Palaut, *tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 10. §. 1. n. 4.* Et ratio est, quia prohibitio librorum non est lex odiosa sed favorabilis, quia est in favorem Fidei, & defensionem Catholicorum.

5. Non tamen deseram hic pro curiosis adnotare Pueronum *ubi supra num. 180.* docere, quod si hæresis una, vel altera, quæ continebatur in libro, penitus inveniatur abrasa; aut ea folia detracta, dicendum est ex ejus lectione non contrahi excommunicationem; quia tunc liber revera non continet hæresim, nec adest rependi periculum. Vnde subdit, quod inconsequenter videntur loquuti; qui ex pluribus ejusdem operis voluminibus alterum in quo hæresis non reperitur, legi posse concedunt cum communi ex Vgolino, Sanchez, Bonacina, & Duardus *locis cit.* nec tamen, si liber unius voluminis in duo redigatur alterum illorum, in quo non sit hæresis, legi posse. Nam aut attenditur periculum hæresis; & æquè benè effugitur in utroque casu, aut odium hæreticorum, eorumque doctrinæ, & in neutro declinatur. Sed hæc omnia, præter DD. citatos, non admittunt Suarez, Alterius & alij.

RESOL. CLXIII.

An ad evitandum excommunicatum sufficiat tantum, vt sit per publicam sententiam damnatus de aliquo crimine,

ne, cui certum est esse annexam excommunicationem, vt v. g. de hæreticis, schismaticis, apostatis, simoniacis, &c. vel necessarium sit, vt specialiter, & expresse denunciata sit excommunicatio? Ex part. tract. 9. Refol. 62.

§. 1. Hoc sufficere putat Sotus in *4. dist. 1. qu. 5. art. 6. & dist. 22. q. 1. art. 4.* Henriquez, lib. 13. *cap. 5. n. 4.* Suarez de *conf. disp. 9. sect. 2. n. 10.* & Gutierrez in *can. lib. 1. cap. 1. num. 42.* ubi sic ait: Obstant enim quod nomine excommunicatorum nominantur sint hæresis, apostasia, & schismaticis condemnati, atque etiam simoniaci, & omnes, qui per sententiam fuerint pronunciati, & condemnati alicujus criminis, quia annexa sit excommunicatio, & præterea quicumque nomine proprio propter aliquod delictum fuerit denunciatus.

2. Sed licet hæc sententia sit probabilis, probabilior mihi videtur contraria. Dico igitur non sufficere vt lata sit sententia qua aliquis sit damnatus, at denunciatus de aliquo crimine, cui annexa est excommunicatio, vt evitari debeat, sed ulterius requiritur vt expresse sit denunciatus excommunicatus. Ratio est, quia in d. *Extravag. ad evitanda*, dicitur neminem teneri evitare excommunicatum, nisi censura fuerit denunciata contra personam specialiter & expresse: at verò quoties quis denunciatur de solo crimine, cui constat excommunicationem annexam, non est denunciata censura specialiter, & expresse, sed solum virtute, & per quamdam consequentiam. Accedit quod cum decretum d. *Extravag. in favorem animarum emanaverit*, potius est extendendum vt requiratur expressa ac formalis censuræ declaratio, quam restringenda, vt sufficiat tacita ac virtualis. Idem dicendum quamvis in sententia declaratur illum esse hæreticum, vel alterius criminis reum, & incurrisse omnes illius pœnas ac censuras, quia adhuc non est specialiter & expresse denunciata excommunicatio. Ita Coninch de *Sacram. disp. 14. dub. 2. n. 10.* Reginaldus in *praxi tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 118.* Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. cap. 9. num. 4.* & alij penes ipsos.

RESOL. CXLIV.

An licitum sit communicare cum hæretico, in quem lata est sententia cum hæreticum declarans, vel necessarium sit, vt publicè, & nominatim, atque expresse denunciatur excommunicatus?

Et doctrina hujus questionis est applicanda omnibus delictis secum ferentibus excommunicationem. Ex part. tract. 14. & Misc. 2. Ref. 97.

§. 1. Negativè respondet Suar. *tom. 5. disp. 9. sect. 2. punct. 10. & de fide, disp. 21. sect. 3. n. 7.* Gutierrez in *99. can. lib. 1. cap. 1. n. 42.* Sotus de *justitia, lib. 9. c. 1. n. 10.* art. 8. ad 1. Henriquez *lib. 13. cap. 5. n. 4.* & alij, quia cum publicè denunciatur excommunicatus, publicè ac nominatim constat de ejus excommunicatione: ergo.

2. Sed contrariam sententiam tenet Sanch. in *sum. tom. 1. lib. 2. c. 9. n. 4.* ubi docet hæreticum in tali casu non censeri nominatim excommunicatum, nec esse vitandum, donec expresse denuncietur excommunicatus, & ratio est, quia in Concilio Constantiensis dicitur neminem teneri vitare excommunicatum, nisi censura fuerit à iudice denunciata contra personam specialiter, & expresse. At quoties quis denunciatur de solo crimine, cui constat excommunicationem annexam, non est denunciata censura specialiter, & expresse, sed sola virtute, & per quamdam consequentiam, ergo, &c. Dico.

Et ejus absolutione. Resol. CXLV. &c. 87

3. Dicendum est igitur ex supradictis opinionibus cum Hurtado de Mendoza in 2.2. vol. 1. disp. 76. sect. 1. §. 10. quod ex opinione Suarez sequitur nos non posse communicare cum hæretico damnato ab Inquisitionibus. Ex opinione Sanchez sequitur oppositum. Et nota quod supradicta doctrina applicatur omnibus delictis, secum afferentibus excommunicationem.

RESOL. CXLV.

An nominatim denuntiatur, vel publicum Clerici percussorem in uno loco, teneat vitare in alio, ubi delictum est occultum? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 134.

Absolutè affirmativam sententiam tenet Bonacina de cens. disp. 2. q. 2. punct. 6. §. 2. n. 48. tum quia experientia constat delicta unius publica in uno loco præscribi ad alia loca; tum quia delinques amittit jus ad suam famam per publicitatem, seu notitiam publicam delicti; tum quia tenemur obedire præcepto Superioris præcipientis vitandum esse excommunicatum non toleratum, (& excommunicatio suum utique præstat effectum,) tum quia excommunicatus facilius respiciet, si ubique evitetur. Neque obstat ipsum excommunicatum hoc malè accepturum, & inde tristitiam passurum, hoc enim sibi debet imputare, cum ego habeam jus permitendi illius constitutionem ob præceptum Ecclesiæ, & ob ipsius excommunicati utilitatem.

2. Quod respondent communiter talem in publico vitandum non esse, sed in occulto. Ratio est, quia à lege antiqua recedendum non est, nisi quatenus in lege nova exprimitur, l. præterea, in fine, C. de appellat. Cum igitur in Extravagan. Constantiensis nihil decretum sit circa modum excommunicatum vitandi publice, an occultè, sed solum circa qualitatem excommunicatorum, utrum denunciati sint, necne, id est standum est juri antiquo cap. cum non ab homine, de sententia excommuni. ut excommunicati (intellige nunc denunciatos) publicè vitentur, si eorum excommunicatio publicè nota sit; occultè verò si publicè ignota sit. Et ita docet Sylvester ver. excommunicatio, §. num. 1. Atmilla eodem ver. num. 61. Sanchez in summa 1. lib. 2. cap. 11. num. 20. Avila. Layman ubi infra. Vasquez de excommunicatione, dub. 8. num. 2. Henriquez lib. 13. cap. 2. n. 1. & alij.

3. Verùm sententiam afferentem supradictum excommunicatum non solum in publico, sed neque in occulto vitandum esse, puto probabilem esse. Et idè Ioannes Præpositus intertia part. quest. 2. de excommunicatione dub. 16. num. 114. sic ait: Nominatim excommunicatus juxta supradictam explicationem est ubique vitandus, ut in superioribus diximus; non est tamen improbabile, quod si is aliò se transferat, ubi censura passim ignoretur, is qui novit censuram, non teneatur illum vitare. Avila quidem concedit de communicatione publica, in qua sentit non posse vitari; asserit tamen debere vitari in occulto, videri potest 2. p. cap. 6. disp. 11. dub. 12. Alij censent etiam in publico vitandum, quantum scilicet fieri potest sine ulla ejus nota; sed quod diximus, est probabile, etiam de communicatione occulta. Ita Præpositus & alij citati ab Henriquez lib. 13. cap. 6. in glossa lit. C. & quoad publicum percussorem Clerici hanc sententiam admittit etiam Avila ubi supra, ubi sic ait: Vir quidam doctus licet admittat conclusionem respectu illius, qui est publicè denunciatus in una civitate, non tamen admittit respectu illius, qui in una civitate est notorius percussor Clerici, & in alia est occultus, nam de hoc dicit, quod non teneor illum vitare, non solum publicè, verùm nec occultè, & ait esse de mentem.

te Durandi in 4. dist. 18. quest. 5. circa finem & Paludani quest. 6. dicendum quod quando aliquis est publicè excommunicatus in uno loco, non debet recitari publice excommunicatus in alio. Et probat hanc sententiam, quia iste in hoc loco non est notorius percussor Clerici; & potest confirmari. Primum. Nam post Concilium Constantiense, ut ego teneat vitare etiam in occulto percussorem Clerici, requiritur, quod sit notorius percussor; sed in hoc loco non est notorius Clerici percussor, ergo. Secundò, nam hæc notorietas percussoris Clerici non est per sententiam judicis, ut suppono, sed tantum per notorietatem facti, ergo ubi factum est occultum, non est notorius percussor Clerici. Propter quæ videtur mihi hæc sententia valde probabilis, præcipue cum favores sint ampliandi. Ita Avila, quem novissimè sequitur Layman lib. 2. tract. 5. part. 2. caput. 5. numero 4.

RESOL. CXLVI.

An quis possit refutare excommunicatum non toleratum, vel respondere ejus chartis? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 116.

Negativè respondet Navarrus cap. 27. num. 20. Tolerus lib. 1. c. 12. n. 4. Avila p. 2. c. 6. disp. 9. dub. 9. & Hurtado disp. 9. de excommuni. diff. 1. num. 4. ubi contra Henriquez & Coninch putat non solum prohibitum esse salutare excommunicatum, sed etiam refutare, & ita etiam docet Gordonus in summa. 1. 2. lib. 7. q. 10. cap. 5. num. 60.

2. Sed ego puto sententiam affirmativam probabilissimam esse, quam præter Henriquez & Coninch docet Præpositus in 3. part. quest. de excommuni. dub. 14. num. 95. Filiucius tom. 1. tr. 13. cap. 5. num. 84. Ioannes Franciscus Suar. in Enchirid. lib. 6. ver. excommunicatio §. vale. Reginaldus tom. 2. lib. 71. disp. 1. cap. 12. numero 81. & novissimè alter Henriquez, Ioannes Sc. in Compend. cas. moral. cap. 20. n. 20. ubi sic ait. [Adverte, quæ quando el descomulgado saluda à otra persona, o escribe alguna carta, se le puede bolver à saludar, y responder à la carta, porque esto no es saludarle, ni escribirle, sino pagar una deuda, lo qual no se prohibe por derecho alguno.] Sic ille, Adde quod multi Doctores asserunt per particulam Vale, solum prohiberi salutationem verbalem, non autem aliis signis factam, ut aperiendo caput, aut assurgendo, &c. Ita Syrus lib. 2. cap. 3. n. 7. Cujus opinionem sequens asserit Megalius in 3. part. lib. 2. cap. 5. q. 3. n. 19. excusandos esse à peccato, & incurfione excommunicationis, & ideo Turrianus lib. 2. disp. 13. dub. 1. docet, prohibitionem salutationis in nostro casu intelligi eam per verba, ita ut non sit prohibitum aliud signum reverentiæ, v. g. aperire caput, & hujusmodi signa, quæ urbanitatis causa fieri solent ex communi hominum more, sed pro contraria sententia adducit Vasq. de excomm. dub. 8. n. 5. & Suarez disp. 15. sect. 1. Unde puto utramque probabilem. Vide etiam Mercetum in 3. part. de Sac. q. 21. dub. 10. & Fabrum de cens. in 4. sent. dist. 25. qu. 1. disp. 4. cap. 6. n. 196. & Layman lib. 2. tr. 5. part. 2. cap. 2. n. 16.

RESOL. CXLVII.

An in communicatione cum excommunicato non tolerato detur parvitas materiæ?

Et quid in Divinis, & Sacris?

Et quid, si communicet in crimine criminoso, vel in aliis casibus, in quibus fideles communicando cum ex-